



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Anthologia Sacra

Ex Probatissimis Vtrivsqve Linguæ patribus collecta, atque Octastichis
versibus comprehensa

Billy, Jacques de

Parisiis, M.D.LXXV.

De Dei iudicio, ac misericordia. 102.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50828)

De Dei iudicio, ac misericordia.

102.

*In geminis Christi pedibus consider quemque
 Est opus: vnus nam non satis esse queat.
 Spem mihi iudicij pes solus discutit omnem:
 Spes venie solus pectora lenta facit.
 Ergo desidia ne mens secura laboret:
 Vel mihi mens nimio fracta timore cadat:
 Hoc mihi da queso, genitor sanctissime, cantem
 Semper vt, Et veniam, iudiciumque tibi.*

SCHOLIA.

In geminis Christi) Ex eo oris osculo, quo in Canticis pia anima frui auidissimè expetit, Bernardus *Bernar. sermo. 6. in Cant.* occasionem sumit de duobus aliis osculis differendi, nimirum pedum, ac manuum, per pedes ipsius iustitiam ac misericordiam intelligens. Ait itaque vir sanctitate ac doctrina præstantissimus: Si iam dolore peccati & iudicij timore compangeris, veritatis

S A C R A

iudicii que vestigio labia impres-
sisti. Quòd si timorem dolorem-
que diuinæ intuitu bonitatis, &
spe indulgentiæ cõsequendæ, tẽ-
peras, etiam misericordiæ pedem
amplecti te noueris. Alioquin al-
terum sine altero osculari non
expedit. Quia & recordatio soli⁹
iudicij in barathrum desperatio-
nis præcipitat, & misericordiæ
fallax assentatio pessimam ge-
nerat securitatem. Datum est
& mihi misero, nonnunquam
federe secus pedes Domini Iesu,
& modo hunc, modò illum tota
deuotione amplecti, in quantum
me sua benignitas dignabatur
admittere. At si quando misera-
tionis oblitus, stimulante con-
scientia, iudicio paulò diutiùs in-
hærerem, mox metu incredibili
ac miserabili cõfusione deiectus
& tenebroso circūfusus horro-

re, hoc solùm palpitans de profundis clamaui, Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuã dinumerare? Quod si eo relicto pedem misericordiæ plus tenere contingeret, tanta è contrario incuria & negligentia dissoluebar, vt confestim, & oratio tepidior, & actio pigrior, & risus promptior, & sermo incautior, & omnis denique vtriusque hominis status inconstantior appareret. Proinde magistra instructus experientia, non iudicium iam solum, aut solam misericordiam, sed misericordiam pariter & iudicium cantabo tibi Domine. In æternum non obliuiscar iustificationes istas. Cãtabiles mihi erunt ambæ pariter in loco peregrinationis meę, quousq; miseri-

*Psal. 89.**Psal. 100.**Psal. 118.*

S A C R A

cordia superexaltata iudicio, mi-
seria conticescat, ac sola cantet ti-
bi de cætero gloria mea, & non
compungar.

Magno piorum bono calami-
tates ipsis à Deo im-
mitti.

103.

EST bonus ille obolus, qui nūmum seruat, vt aiunt:
Quæque caput seruans, vulnera palma capit.
Est bonus hic medicus, qui noxia doctus ab imis
Partibus ad summam pertrahit arte cutim.
Ergo caue melior ne spes te deserat vnquam.
Sæpe licet casus experiare graues
Nam ne forte tumens agitet pia pectora fastus
Vexari patitur corpora sæpe Deus.

SCHOLIA.

Lib. 33. Est bonus ille obolus) Gregorius
Mor. ca. in Moralibus exponens hæc ver-
23. ba Iob, Memento belli, & ne vl-
trà addas loqui, ad hunc modum
loquitur: Deus idcirco sæpe bene-
merentes famulos vel minis im-
petit, vel flagellis premit, vel o-
neri-